

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimo-quarto menſis Januarii, anno Domini M. DCC. XLIII.

M. CAROLO-FRANCISCO BOUTIGNY DES PREAUX, Doctore Medico, Præſide.

An in quâlibet hominis ætate ſuccus idem nutritius?

I



SINE motu quî poſſent explicari animantium corpora arctiſſimis Vermiculorum terminis anguſtata? Quî poſſent conſervari, creſcere, corroborari? Sed idem ille motus corporeæ naturæ alumnus ut ita dicam & cuſtos, ejus eſt & everſor. Humores ſiquidem muſculorum contractionibus acti, lambendo jugiter vaſorum parietes quibus coarctantur, illos rodunt, ſenſim & ſcalpunt, jugique particularum abraſione debilitant, nec ſine ſui damno; quippè quorum moleculæ attritu continuo ſubactæ, ita attenuantur, ut ſub roris formâ, vel ſubtiliſſimi vaporis ſpecie exhalent. Nec minùs detrimenti ipſi patiuntur muſculi, quorum actione tota in motum machina agitur. Niſu valido & iterato ipſi ſe mutuò terunt, limant, lævigant, minuunt, deſtruunt. Quin & oſſa, ipſa oſſa jacturam ſui faciunt, variis pervia liqui-

dis particulas osseas in suo cursu secum abigentibus. Quæ de animantium in genere, hæc de hominum corporibus intelligenda veniunt. Eadem utrorumque lex est & natura. Tota utrobiquè compages citò pessundata dissolveretur, ni artifex supremus conservando operi prospexisset, illudque ità temperasset, ut undè oriuntur, indè & resarcirentur detrimenta, & quæ motus rapuerat, ea idem restituisset, restauratorem ubiquè succum circumducendo; hujus ea natura est & indoles, ut in tenuissimum immutatus vaporem, consimiles & congeneres cunctis partibus nutriendi corporis advehat secum particulas, quæ arte mirâ in suo cursu, ubi quid debile vel caducum occurrit, applicentur, conglutinentur, consolidentur. Quî enim aliter explicari potest stupendum nutritionis artificium.

II.

CHYLUS angustioribus solidorum poris subeundis impar. Componentes particulæ sibi Heterogeneæ, dividendæ, ulterius & elaborandæ. De sanguine paulò subtiliori eadem asserimus. Spissius est etiam illius serum, ut exilissimos partium cuniculos pervadat. Ideoque hæc nutritioni inepta. Circumacta verò actione viscerum & vsorum diversas patiuntur mutationes, partemque tandem dant adeò subtilem, uta minima, solidissima & compacta magis corporis humani permeet, irroret, humectet, nutriat. Fluidum illud tenuissimum abundantes particulas quales separatæ & perditæ fuerant, circumquaque secum volvit, ad illa ipsa interstitia apponit, applicat, interceptas his meatibus fingit, figurat, affigit, adeò ut similiter adhærescant ac priores. Nec cuiquam mirum fuerit, quod hæc tam sapienti quàm constanti fiant ordine, ut nec osseæ nervis, nec ossibus nerveæ unquam agglutinentur particulæ, nisi ignoraverit quod certâ constat experientiâ, quomodo scilicet liquores mixti separentur, quomodo, quibus legibus integri quique restituantur. Quo semel est imbuta, hunc solum, cæteris aditu denegato, recipiet vitta scyphi in modum crateri apposita. Eodem modo motus nutritium succum circumdefert; pars quæque convenientia sibi quasi eligit, admittit, detinet, totâ *discretionis* &, ut ita dicam saporis ratione, in figuræ particularum congruentiâ cum rimarum diametris consistente. Nec inficias eat quisquam aquâ tenui, tot tamque diversas & variæ naturæ partes in corpore, fluidas, solidas, lentas, rigidas, augeri, nutriri, reparari, conservari. Ex quâ materie *v. g.* ædificantur Testaceorum omnium tuguriola, sive angustiora dilatari necesse sit, sive disrupta reparari, nisi ex sudore quodam quem è corpusculo emittunt hæc animalcula? Ex quo cæmento tam casam quàm linimentum ejus interius ejusdemque naturæ margaritas elaborant Ostreæ, nisi ex liquore qui ex illis spirat? Ex quâ substantiâ aliâ surrexit Salix illa *Helmontii* quinque librarum ad pondus centum sexaginta quatuor per spatium annorum quinque, sine terræ in quâ fuerat sata diminutione, & aditu cæteris corporibus præter aquam diligentiùs præcluso. Omnia ergo fiunt ex aquâ, non quod in illorum varias transeat naturas, sed quod particulis rigidulis, solidis & homogeneis corporibus omnibus prægnans, vectet materiam undè omnia ædificentur.

III.

HACTENUS succi nutritii naturæ considerandæ immorati sumus, quem nutriendis congruum & ideò congenerem esse debere sumus suspicati. Nunc expendendum an corpushumanum idem sit in variis suis ætatibus, ut indè eruamus an idem quoque in quâlibet hominis ætate succus nutritius. Nullus equidem dubitationi locus esse videtur, quin quibus partibus constat homo perfectus, juvenis, puer, infans, sive recens natus, sive adhuc in suæ matris utero sed ad ortum vergens, iisdem etiam non componatur & Embryo imò & animalculum, seu reptet

adhuc in viscoso liquore, seminis nomine nuncupato, seu intromissus in feminæ uterum, ovum aliquod ex ovario delapsum subintrorierit. vermiculus ille spermaticus, licet exiguus, summatim in se continet totum hominem futurum. Fœtûs formatio non est nova partium quæ anteà non extiterint creatio, sed jam existentium, minimoque spatiolo obvolutarum, evolutio & explicatio. Vermiculus in ovo quasi in sacculo reconditus, liquore innatat tenuissimo qui admotus igni inspissatur, in utero talis feritur. Humores quibus tunc irroratur uterus, fluidiores magis ac magis tùm motu, tùm calore facti, penetrant, dilatant & turgescere faciunt pretiosùm illud ovum cujus pars convexa concavæ uteri parti, quas emittit radiculis, hæret & infigitur. Tota capacitas uteri completur. Intereà germen totius hominis futuri summarium evolvitur, crescit sensim, donec debitam magnitudinem adeptus vermiculus infans factus, angustiori sibi carceri aperiendo vim adhibeat, viam sibi paret, exeat, nascatur. Omnes illius partes quæ in posterùm durescent, primâ origine à liquidis undè formantur haud multùm discrepantes, dilatantur magis ac magis, formam in dies recipiunt & soliditatem debitam, requie, cohæsione & motu liquorum qui in canalibus Cylindricis in directum impulsi, vim eò majorem adhibent, quò à majori per minùs spatium cursum dirigere coguntur, majori impulsu majorem renitentiam vincere conantur. Quæ machinatio, cùm sit eadem per totam hominis vitam, indè fit ut quò minùs ab ortu, eò magis crescant corpora, quò longiùs distent, eò magis solidentur, donec hoc motu perseverante, majora liquidis magis distenta, jugiter premendo minora quæ texrurâ suâ majorum membranas efficiunt, illa evacuant, exsiccant & ipsa in dies fiant solidiora rigidaque, ut in senectute observatur.

IV.

EX dictis hactenùs suspicandi locus est, congruentiam perfectam nos insinuasse, non solùm inter hominum & animalium corpora, de quâ nemo est qui, opinor, ambigat, sed & inter animantium & vegetantium corpora. Quæ opinio, licet eandem veritatem præ se ferat, non eandem tamen in omnium animis habet certitudinem. Quamvis in quibusdam utrorumque corpora discrepent, essentialis tamen in utrisque, propiùs attendenti, deprehenditur uniformitas. Quæ vitâ gaudent corpora, sive animalia, sive vegetabilia, eodem planè nutriuntur modo. Utraque enim compages sunt quædam mirabilis vasorum vivifico distentorum liquore. Eorum omnium eadem omninò structura. Plantarum fibræ exigui ductus sunt venarum instar, quibus varii circumquâque succi vehantur, valvulis instructi sunt quibus liquores sustinentur ne in se refluant. Quàm plurimæ vesiculæ, in modum catenæ sibi invicem cohærentes obliquè has fibras transgrediuntur, tanquàm receptacula succorum quos ibì effundunt fibræ, ut in his immorati, digerantur & nutriendæ plantæ apti efficiantur. Aëre vita in corporibus conservatur, in motum aguntur succi. Huic colligendo pulmones inserviunt. Sui quoque plantis adsunt, Trachæarum nomine clari; harum etiam tantus est numerus, ut ubiquè ferè deprehendantur. Exiles quædam laminæ in spiram convolutæ tubos longiores efformant modò latiores, arctiores modò, hìc planos, cellulis ibì distinctos, quibus aër intromissus plantarum succum penetrat, attenuat, & qui alterno suo motu inflationis & depressionis, sæpiùs proxima vasa comprimendo, succi circulationem accelerant. Sua sunt & plantis viscera, radices, truncus & folia nutritioni inservientia, flores & fructus generationi. Radices scilicet ore multiplici succos è terrâ proprios ebibunt, vesiculis digerunt tanquàm stomachulis motu Trachæarum quæ ibì plurimæ sunt donec eatenùs attenuentur, quoad fibras in origine trunci sitas, quæ glandulas

animalium conglomeratas imitantur, penetrare valeant, indè truncum permeare; & per illum in folia deferri, ubi toti plantæ nutriendæ liquidissimi facti, capaces tandem & idonei perficiantur. E plantarum sicut & animalium corporibus humor exsudat aliquandò sensibilis, ut in Fraxinis qui mannam dant, in aliisque arboribus undè gummi extillant, modò insensibilis qui non, nisi vario quem spirant odore, deprehenditur. Idem ergo est artificium in structurâ, accretione, conservatione corporum omnium viventium; nec aliâ certiùs viâ ad corporum animalium cognitionem perducimur, quam si vegetantium accuratè naturam introspiciamus. De his tutò affirmari potest, tota in suo germine contineri, ut experientiâ sæpiùs & à multis iterata demonstratum est. Jam ergo & de homine asseverandum putamus, neque novas partes ejus corpori in dies in matris utero formari, sed quæ priùs in vermiculo fuerant evolvi tantùm & dilatari.

V.

SI plantæ ad justam altitudinem provectæ, totæ in suo germine contineantur ut multiplici constare experientiâ jam diximus; non paucioribus tentamentis compertum est eodem, à primâ sua origine ad ultimam usque senectutem, succo nutriri. Quàm multi curiosi naturæ secretorum investigatores, aquâ solùm diversi generis plantas à grano usque ad flores & fructus perduxêre! Quotidiè apud nos, dùm hyems aspera terræ sinum claudit, & omnia vegetantia in otio & inertiâ tanquàm mortua detinet, hortorum amænitatem & odores referunt camini nostri. Nemo nescit Narcissorum bulbos, ut cæteros flores omittam, laguncul is vitreis aquâ sæpiùs renovatâ plenis impositos, radices, folia, flores emittere. Eadem semper aqua, idem ergo semper succus nutritius. Ex his quæ diximus hactenùs eundem esse in homine nutriendo mechanismum. Fluido tenuissimo, quod è sero sanguinis sæpiùs triturato oritur, alitur infans in utero matris, eodem puer, eodem vir, senex eodem.

Ergo in quâlibet hominis ætate succus nutritius idem.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Claudius-Carolus de Jean.	*M. Joannes de Diest.*	*M. Antonius Pepin, Regis Consiliarius & in portu Brestensi Medicus Primarius.*
M. Franciscus-Felicitas Cochu, Scholarum Professor.	*M. Josephus de Jussieu.*	*M. Joannes Herment, Medicus Regis ordinarius.*
M. Ludovicus-Florentius Bellot, Scholarum Professor designatus.	*M. Henricus-Franciscus Bourdelin.*	*M. Raymondus-Jacob Finot.*

Proponebat Parisiis, LUDOVICUS-RENATUS MARTEAU, Parisinus, Sorbonicus nec non Medicus Baccalaureus, A. R. S. H. 1743. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1743.